



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118324**

§. 2. Basileensium jurgia ob Herbipolensem Præposituram

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

Secul. XV.  
A.C. 1442.

copalis, ad quam Fridericus, qui illius Decanus erat, per Capituli suffragia nominabatur, cujus nomine ad Basileenses Legatus decernebatur, qui electionis confirmationem postularet. Istitis vero petentibus, ut Felix in secreto Patrum Senatu electum confirmaret, & in ejusdem manibus obedientiae sacramentum confirmatus exsolveret, Legatus huic propositioni sese subjicere renuit, affirmavitque, se ad solam Synodum fuisse missum, de cetero nullum sibi cum Felice esse negotium. Diu itaque, acriterque hac super re disceptatum, donec tandem Synodus suo nomine, quæ Legatus petierat, concederet, quo facto Mense Januario ad medium vergente mox Friderico pallium per Cardinalem S. Sixti, & Stephanum de Novaria Advocatum nomine Pontificis traditum est. Ita demum hæc lis composita fuit.

## §. II.

*Basileensium jurgia ob Herbipolensem  
Præposituram.*

Eodem ferme tempore novis inter se dissidiis Basileenses scindebantur. Hi enim Joanni de Bachenstein Herbipoli, quæ est Episcopalis civitas in Franconia ad Moenum sita, hujus Ecclesiæ Præposituram conferebant, quamvis Philippus Trevi-

Trevirensium Archiepiscopus ab Eugenio, Sæcul. XV.  
A. C. 1442.  
postquam a Basileensibus exauctoraba-  
tur, jam ab aliquo tempore eadem digni-  
tate auctus fuisset. Hortabatur Felix  
Joannem, ut causam suam agere differ-  
ret, donec Ecclesiæ dissidia in Germa-  
nia sopita forent; Archiepiscopum enim  
Trevirensis, aiebat, apud Principes Ele-  
ctores gratia, & auctoritate plurimum  
valere, remque periculis plenam esse, si  
vir amicorum potentia, simulque merito-  
rum gloria longe celeberrimus ad iracun-  
diam provocaretur. Verum Joannes pri-  
vata publicis præponens, apud plenum  
Basileensium confessum, inscio Felice,  
causam suam adversus Philippum movit,  
ipsumque Vercellensem Episcopum ad  
sententiam suæ causæ propitiam incli-  
navit, qua impetrata a Basileensibus, ut  
sibi eandem dignitatem de novo confer-  
rent, petiit, hac enim via majorem præ-  
tense juri suo firmitatem conciliari arbi-  
trabatur. Attamen ob intempestivas e-  
jusmodi preces recruduit Basileensium  
dissensio, quibusdam in Joannis postulata  
propendentibus, aliis ad præcavenda  
scandala causæ inducias efflictim postu-  
lantibus. Habita est Congregatio gene-  
ralis, in qua negotium dirimeretur, nihi-  
lominus lis minime composita est. Nec  
minor erat Basileensium contentio, ubi  
de Capuano Decanatu, aliisque beneficiis

Sæcul. XV. conferendis agebatur, multumque temporis in ejusmodi altercationibus frustra A.C. 1442. infumebatur, nec ulla tamen caussa dirempta est, vel quia noluerunt, vel quia nil decidere potuerunt.

## §. III.

*Profectio Legati a Felice in Italiam missi dilata.*

Interea temporis Felix Nuncii sui in Italiam discessum vehementer urgebat, hancque in rem Nichodio de Metone Nicaeæ Comitatus Rectori, qui tum forte Basileam advenerat, negotium dedit, ut Triremem instrueret, qua Legatus in Italiam prima Maji transvehi posset. Jamque legationis mandata ex ore Æneæ Sylvii, quem a secretis habuit, accepit Legatus, quæ tamen eidem primum ultima die Februarii scripto data fuere. Differebatur illius profectio, eoquod Basileenses consultius fore censerent, si prævia Legatione solemnibus Burgundiæ, Borbonii, & Sabaudia Ducibus, qui Niverni convenerant, salutarentur.

*Vide infra*  
S. 35.

## §. IV.

*Principes Germanicæ in Eugenium Papam propensi.*

*Acta Patric. to. 13. Conc. p. 1598.* His ita Basileæ agitatis Archidiaconus Metensis, & Auditor Camerae, qui a Basile-